

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Practicae Novae Imperialis Saxonicae Rerum Criminalium Pars ...**

Quaestionum fere universarum in materia cuiusque generis homicidiorum,  
fractae pacis publicae, laesae Majestatis ... falsificationis monetarum,  
blasphemiarum, periurii & sortilegiorum ... decisiones absolutas ...  
exhibens

**Carpzov, Benedict**

**Wittebergae, 1670**

Praefatio ad lectorem

[urn:nbn:de:bsz:31-127726](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-127726)

PRÆFATIO AD  
LECTOREM.



Iraberis, Lector amicissime, quid  
causæ sit, quòd novum jam moliar opus, Præcticam  
nempe Rerum Criminalium, de quibus quum satis su-  
perq; tum olim, tum nostrâ etiam ætate, scripserint Cri-  
minalistæ, materiemq; hanc ad amussim, ut dici solet,  
pertractârint & illustrârint, haud fieri posse, existima-  
bis, quin ea, quæ jam antè dicta, multoties repetita, ac  
sæpiùs inculcata fuere, non absq; tædio singulari, denuò à medicantur, & tan-  
quam novæ merces in forum proferantur. Inficias certè ire neqveo, insignium  
& Clarissimorum JCrorum Scripta Criminalia, hætenùs benè multa fuisse edi-  
ta, quibus evolvendis, hominis vita, quantumvis diuturna, vix ac ne vix quidem  
sufficere possit, ut, qui plura exoptet, Soli lucernam & teruncium Cræsi argen-  
tò addere velle censeatur, quod primâ fronte quivis, vel solius Prosperi Farina-  
cii Operibus Criminalibus convictus lubens fateri, necesse habebit. Attamen  
vereor, ne variis variorum Auctorum commentationibus, jura Criminalia, ceu  
tenebris quibusdam, mirum in modum involuta & obscurata, à plerisque  
etiam generalia duntaxat præcepta pertractata fuerint. Quin & ob crescen-  
tem, & nusquam non terrarum pullulantem hominum facinorosorum mali-  
tiam & perversitatem, pessimo hoc seculo, novæ semper ac multifariæ nascun-  
tur quasi delictorum qualitates & circumstantiæ, quibus, si vetustiorum Cri-  
minalistarum, exterorumq; Doctorum traditis, ac Regulis generalibus, in  
tam multiplici præsertim opinionum diveritate, strictè inhærere velint, faci-  
limè simpliciores falli possunt iudices, nunquam ferè solliciti de æqvabili ac  
justo suppliciorum temperamento, quod exactiori semper iudicii acumine,  
peritiores etiam ponderare oportet, qui non improbo planè, ac miserando ju-  
dicantium fato, vulgi imperitiam sectari, atqve conscientiam onerare malunt.  
Nec enim brachio leviori, aut superficialiter saltem causæ Criminales sunt tra-  
ctandæ, in quibus non de glande legendâ, non de calce fodiendâ, non de parti-  
bus lucri, ex societatis contractu debiti, neq; de tribus posthumi capellis; sed de  
sangvine agitur humano, qui nec ullam pecuniarum æstimationem recipit, nec  
semel fulus, Restitutionem in integrum à Prætoze impetrare habet. Et cum ple-  
riq; Criminalistæ scripta sua ad cujusq; loci & Provinciæ mores accommodâ-  
rint, quibus etiam in Imperio Romano-Germanico per Nemesis Karulinam nil  
quicquam detractum aut derogatum fuit, de Convetudinibus verò nostrarum  
Provinciarum, quæ in causis etiam Criminalibus jura regunt Saxonica, hætenùs  
vel nihil, vel oppidò pauca tradita fuere, Ecquis, me hercle, has scire non valde a-  
veat? Sed in quies, tunc solus Observantiam nostri juris Saxonici, de qua in rebus  
Criminalibus alios sat informare, certamq; decisionum pœnalianum normam &  
regulam præscribere vales. Hoc si à me expectaveris, non mea arrogantia, sed tua  
te opinio fefellit; Non enim id mihi tribuo, nec, quid egomet solus sentierim, aut

PRÆFATIO AD LECTOREM.

de rebus tam arduis judicaverim, in vulgum emittere unquam animus fuit; Sed quid si antiquissimo illo, & à D. Augusto, Electore Saxoniae, in hac urbe Lipsiâ instaurato, Scabinorum, ut vocant, Collegio, frequentissimè de causis criminalibus quæsitum, dubitatum, ac præviâ deliberatione maturâ, ex jure pariter civili & ordinatione criminali Carolinâ, moribusq; Saxonis tandem conclusum & judicatum, vel Consulentibus responsum accepi, ac ipsemet bona ex parte meminî, tecum fideliter communicare, inq; lucem dare, commodum visum fuit, imò necessarium; Etenim veriore, ac moribus & juribus Saxonis æquabiliorum criminalium causarum decisionem vix aliunde discere licet. Nosti siquidem, quòd hac in parte judiciis ac Reipublicæ valdè utilis atq; decora esset juris æquabilitas, Sententiarumq; harmonia & conformitas, jam dudum ab Illustrissimo Saxoniae Electore solis Scabinis Lipsensibus, de causis criminalibus in provinciis sui Electoratûs respondendi potestatem fuisse concessam, reliquis dicasteriis eadem facultate ademptâ. Fuere hinc Scabini omni tempore ejusmodi in materiis exercitatisimi, quippe quòd hujus farinae negotia ac causæ frequentius ad Scabinatum deferantur; Ceu ipsemet affirmare aulam, per integrum illud quindecim annorum spatium, quo in Collegio hoc munere Assessorio functus fui, nullum ferè diem præterisse, quo non casus Criminales variis ex locis ad nos fuissent delati, ut quod alibi Henning Gøden de Scabinis Lipsensibus scripserit, Horum nempe Sententias jus facere in foro Saxonico, de Responsis in causis criminalibus, tutò asseri queat. Nil dicam de insigni eruditione & experienciâ Antecessorum hujus Collegii, HARTMANNI, inquam, ac MODESTINI PISTORIS, LUDOVICI FACHSII, JACOBI THOMINGII, DANIELIS MOLLERI, ANDRÆ GOLDBECCII, (lubet saltem eos referre, quorum fama ex scriptis elucescit) qui uti extra controversiam inter Germaniæ Jctos illustres, & in Collegio Scabinatûs præcipui fuerunt; ita & plurimum in decidendis causis criminalibus secundum jura imperialia, moresq; Saxonicos præstitere, aliisq; viam præmonstrare, à quorum vestigiis Successores illorum, quorum ipse pars minima sum, non temerè recedunt, utpote ea illis tribuentes, quæ excellens virtus, judiciumq; longo rerum usu & experienciâ confirmatum, jure omninò meretur. En, horum decisa atq; Respona, amice Lector, in forum profero, quibus si fidem habere, eaq; in causis Criminalibus decidendis sequi nolis, quam quæso viam tutus ambulabis? Nullus ergo dubito, Operam meam judicum tam inferiorum, quam superiorum subsellis ac tribunalibus, nec non litium Criminalium Patronis & advocatis utilem gratamq; fore, tantoq; gratiorem, quantò majori labore atq; industriâ (Deum testor) inter multifaria, & quodammodò continua Scabinatûs negotia, quibus cottidiè & singulis penè horis distineor, ex variis, ac fermè innumeris Sententiarum libris, qui in Scabinatu habentur, Respona & præjudicia (ut solent vocari) Scabinorum colligere, nil quicquam aut valetudinis, aut temporis me impedire passus sum; Non alio fine, quam, quò in posterum non solum mihi, sed aliis quoq; in eadem harenâ versantibus, quoties usus incideret, & ut verum dixerim, BONO PUBLICO inservirem. Scopum hunc si aliquâ ex parte fuero consecutus, satis uberes laborum fructus me percepisse, existimabo; Sin verò, quod abominor, hæc me spes fallat, publicè tamen privatimq; omnibus bonis ac candidis (de aliis enim non manum verterim) prodesse voluisse, suscepti laboris memoria semper recreabit. Vale!

BENEDICTUS CARPZOV. D.